

gata, ad scientiam simplicis intelligentiæ & visionis revocare, secuti Thomam qui parte 1. q. 14. a. 9. in conclus. & corpore duplicem tantum facit scientiam, Visionis sc. & simplicis intelligentiæ. Quod si forte in progressu voce scientiæ mediæ utemur, fit hoc ideò, quia Vir Clarissimus eam ita distinguit.

§. 37. Arguit igitur (1.) *Objectum omniscientiæ infallibilis debet esse necessarium. At objectum scientiæ mediæ nullo modo est necessarium* E. objectum scientiæ mediæ nullo modo est objectum omniscientiæ infallibilis. Circa probationem majoris ita discurrit: *Quia omnis infallibilitas scientiæ fundatur in necessitate objecti, neq; dari potest certitudo mentis sive subjectiva citra omnem certitudinem entis sive objectivam; omnis siquidem certitudo scientiæ, presupponit certitudinem existentia, si non realem & actualem, saltem idealem & causalem.* Minorem ita stabilire conatur: *Objectum scientiæ mediæ neq; necessarium est, necessitate consequentis neq; consequentiæ; non consequentis, quia nihil in re precedit, quod talem necessitatem causaret, non consequentiæ, quia sic Petrus positus in talibus circumstantiis & cum talibus auxiliis gratiæ, quæ non necessariò aut efficaciter inclinarent ejus voluntatem, infallibiliter nihilominus necessariò ac certo convertetur, conversio enim ista ex conditione futura objectum est illis scientiæ divinæ ac infallibilis, nisi forte mediam suam scientiam in Deo esse infallibilem negare ausint, jam verò, hoc contradictionem implicat, ut effectus aliquis sequatur necessariò necessitate consequentiæ aut infallibilitatis, ex antecedente, aut causa quæ aliter & aliter se potest habere, ac deficere & impediri per concursum aliarum causarum, nisi talis causa determinetur ad talem effectum ab alia causa superiori quæ nec deficere potest nec impediri. Sed Deus non determinat causas defectibiles ac impedibiles ad particulares effectus nisi per decretum suæ voluntatis ergo ante decretum ejus non est necessarium necessitate consequentiæ aut infallibilitatis, ut voluntas creata quæ ex natura sua est defectibilis & impedibilis, consentiat objecto sibi proposito, aut convertatur, si ponatur in talibus circumstantiis. Hæc ille.*

§. 37. Respondemus (1.) ad Majorem, eam triplicem posse habere sensum à parte prædicati, sumitur enim necessarium vel (1.) absolutè pro eo quod in se est necessarium, & aliter se habere nequit (2.) præsuppositivè & hypotheticè pro eo quod in se quidem est contingens, posito tamè aliquo, aliter se habere nequit (3.) præcisivè non attendendo an sit necessariū in se an vero per hypothesin. In